

Andreas Daniel Habichhorst

**Andr. Daniel Habichhorst, S. Th. D. eiusdemque P. P. & Consiliarius Duc. Mekelb.  
Consistorialis, Collegiique Proff. Ducalium nec non FCtis Theolog. in Universitate  
Rostoch. Senior & h. t. Decanus Publico hoc Programmate Magnificum  
Universitatis Rectorem ... ad Benevole audiendam ... Disputationem Inauguralem,  
Quam ... Dn. M. Joachim[us] Lindeman[n] ... De Sanctorum Cum Christo  
Redivivorum Resurrectione, Ad d. IX. April. M.DC.XCV. ... studio invitat**

Rostochi[i]: Wepplingius, 1695

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740914391>

Druck    Freier  Zugang



RU theol. 9.April 1695  
Habichthorst, Andreas / e  
Lindemann, Joach.



*Programma*

*XXVII.*

# ANDR. DANIEL HABICHHHORST,

S.Th.D. ejusdemque P.P. & Consiliarius Duc.

Mekelb. Consistorialis, Collegiique Proff. Ducalium nec non  
FCtis Theolog. in Universitate Rostoch, Senior & h.t.

## DECANUS

PUBLICO HOC PROGRAMMATE

## MAGNIFICUM Universitatis RECTOREM

& utriusq; Reip. Proceres omnesq; Cives Academicos, ut & alios  
S. literarum Fautores, suis quosque titulis conspicuos,

AD

Benevolè audiendam publicaq; frequentia & celebritate attollendam

## DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

QVAM  
VIR. ADM. REVERENDUS ET AMPLISSIMUS,

## DN.M. JOACHIM, *Lindemann/*

Metaphysices Physicesq; hic P.P. & p.t. FCtis Phil. Decanus,  
nec non Ecclesiæ ad summum ap.nos Templum Archidiaconus  
meritissimus, jamq; S.Theol.Candidatus dignissimus,

*Pro obtainendis ritè honoribus & privilegiis DOCTORALIBUS;*

Ex MATTH. XXVII. v. 52. 53.

DE

Bibliotheca

Rostoch

## SANCTORUM CUM CHRISTO REDIVIVORUM RESURRECTIONE,

ad d. IX. April. M.DC.XCV. boris pro- & postmerid. in AUD. MAIORI,  
ad eulogiam Academicam D.V. proponet,

Suo suæq; FCtis nomine, qvo par est, studio invitat.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Universi Typogr.

1695



ppressa fermè DOMINI  
Servatoris nostri, JESU Na-  
Zareni gloria in passione & mor-  
te sua videbatur, dum à Primo-  
ribus Iudaorum is rejectus,  
Barnabæ latroni postpositus, at-  
que ut sceleratissimus, in loco ma-  
leficis ex merito puniendis destro-  
nato, crucifixus, habitusque pro  
tali fuerat, qui à DEO percussus ac vulneratus suo ex  
merito ac delicto esset, juxta Iai. 53. 4. Ab ista vero  
passionis & maleficii ignominia vindicandus ipse, tum per  
miracula mortem ejus comitantia, tum per ipsam præ-  
cipue resurrectionem, Filius DEI demonstratus sive decla-  
ratus est, prout ipse Apostolus ad Rom. 1.4. loqui amat,  
vel uti in fonte dicitur, ἐπιθετικός, quod Chrysostomus exponit  
διερχόμενος, ἀπειπόμενος, ὑποδογόνος h.e. ostensus, judicatus, confessus.  
Quamvis autem per resurrectionem (per quam, velex qua  
Christus est declaratus vel ostensus DEI filius) non cum  
Origene & Ambrosio illam solam intelligamus resurrectio-  
nem, qua multi ex sanctis cum Christo resurgentे resur-  
r exerunt.

rexerunt, Matth. XXVII. 52. 53. pro qua ceteroqui nona  
nullorum sententia locum ad Rom. I. 4. ita depravant, ut  
distinctionem textus immutent, vocemque ~~reveri~~. i.e. mor-  
tuorum, cum proxime sequentibus, Jesu Christo, Domino  
nostro, conjugant, hoc sensu: ostendo Dei filio ex resurrec-  
tione mortuorum illorum, qui sunt Jesu Christi, Domi-  
ni nostri s. cum Christo dormiant, cœn dicuntur I. Cor.  
XV. 18. siquidem ipsius fontis inspectio longe aliud suau-  
det. Et licet ibi dicatur: declaratus est ~~et~~ etas ~~reveri~~; reveri i.e.  
ex resurrectione mortuorum, non vero ex resurrectione è  
mortuis; nihil tamen id depravatores juvat, cum eupho-  
ria tantum gratia posterius EX omiserit Paulus, quicce-  
teroqui bis particulam hanc E<sup>st</sup> minimo quidem inter-  
vallo, scribere debuisse. Nihilominus tamen resurrectionis  
vocem cumulativè hoc in loco licebit accipere, quatenus  
non passim modò resurrectionem Christi, sive  
eam, qua ipse ex mortuis resurrexit, sed E<sup>st</sup> activam,  
qua simul alios resurgere fecit, adeoque miraculosam hanc  
sanctorum cum Christo resurgentे redivivorum includit,  
qua cum Christi resurrectione conjuncta fuit, ita tamen ut  
principaliter illa Christi resurrectio sit intelligenda. Siquidē  
ex illa quoq<sup>z</sup>, sanctorum resurrectione cum resurrectione  
Christi conjuncta, apparuit Christum esse Dei filium E<sup>st</sup> ab  
omnibus pro illo cognitum esse, vel cognoscimimum potuo  
isse. Quod vel ex minoribus jam miraculis, mortem Christi  
comitantibus patuit, E<sup>st</sup> Centurio sub cruce Christi consi-  
stens E<sup>st</sup> miracula videns probat, dicendo yere hic Dei filius fuit.

X. 3

Cets.

Ceterum de hoc arguento pluribus in Disputatione sua intu-  
rati agit Pl. Rev. & Excell. Dn. Candidatus noster, M. JOACHIMUS  
LINDEMANNUS, P. P. cui argumentum illud de sanctis cum Christo redi-  
vivis, ut tempore quoque in Academia serviremus, & propterea in-  
junximus, quoniam istuc sanctorum resurrectio non modo uberrimum  
resurrectionis Christi beneficium fructum, sed & mysterium illud resurre-  
ctionis Christi declarat; quoniam propter angustiam temporis festinan-  
tissime & vel triduo illud elaborare fuit coactus.

Quis vero Candidatus sit noster, cui nunc ad cathedram paramus  
viam, & quam ille ad honores Theologicos sit idoneus, non aliunde  
magis, quam ex vita studiorumque eius curriculo, pro more in program-  
matibus recensendo, manifestum evadet: ad quod proinde sine ambagi-  
bus (cum illud curriculum paulo sit prolixius) & sine sermonis digni-  
tate (cum plures nos occupationes distrahant) lubentes meritoq; proce-  
demus. Natus is in hac ipsa est Civitate A. 1662. & septimo quidem Apri-  
lis die, quo Disputatio inauguralis ejus altera vice publicatur. Si Parentes  
Candidati simul ac Majores intuemur, gloriam sanè illorum ad istam ho-  
noris viam, quam ingreditur, calcar ipsi addere videmus. Praevit ipsi  
Avus longè celeberrimus, Vir quondam Consultiss. & Excellentissimus  
Dn. Thomas Lindemannus, Herwoldia Westphalus, j. U.D. ejusque Prof.  
in hac Acad. meritissimus, simulque Civitatis hujus Syndicus & Comes  
Pal. Cæsareus, nec non Consiliarius Serenissimi Ducis Mekelb. quondam  
regentis, Dn. Adolphi Friderici, gloriose recordationis, qui hodierni Prin-  
cipis nostri Regentis, Serenissimi Dn. Friderici Wilhelmi Avus fuit, Anno  
1657. ad meliores evocatus, cuiusque vultus, meis quondam in arce  
Grabovieni habitantibus, perquam gratus, ante oculos etiamnum me-  
os versatur. Facem quoque præluxit Patrius, Vir quondam maximè  
Rev. & Excell. Dn. Thomas Lindemannus, S.Th.D. Ao 1631. ult. Apr. Decano  
D. Joh. Quistorpi primo, una cum D. Clozio, Theol. P.P. & Medicis quatuor,  
actibus combinatis, hic promotus ejusq; Th. hic Prof. Publ. & deinceps  
Ecclesia Teutonica ap. Haffnienses Pastor meritissimus, Gener Quistorpius  
quondam fulgidissimus; ut inclutam nunc Viri Aulam, Elisabetbam Hahn-  
am, ex patre Hahniorum stemmate hic oriundam, haut nobis signata, non  
adeo memoremus, quæ deinceps, functo iam B.D. Thom. Lindemannus,  
nupsit Jcto & pratico longè excellentissimo, quamvis non adeo  
felici Dn. D. Adolpho Frid. ab Hagen, Amico quondam meo singulari.

Nec

Nec B. Parens ejus Pl. Rev. Dn. Joachimus Lindemannus, illaudabilia filio  
vestigia reliquit; siquidem is primò Ecclesie ad D. Petri per XIIII. annos  
Diaconatu, deinceps eisdem, cui & Dn. Candidatus noster ministrat,  
Ecclesie Archidiaconatu, per septennium magna cum gratia, fun-  
ctus est, Orator dum viveret Ecclesiasticus longè disertissimus, cuius ego  
favore & mensa A. 1668. tunc S. Theol. Candidatus ejusque Prof.  
designatus gaudebam, quo tempore Candidatus noster sex annorum  
puer eleganti voce, qua preces ante mensam recitabat, aliisque jucundi-  
tibus me admodum recreabat. Quid vero de Genitrice ejus dicam? Matrona hæc non modo Natalium sed & virtutum ac pietatis splendore, an-  
norumq; serie per quam conspicua, Eva Goldsteins/ Viri quondam maximè  
Rev. Dn. M. Johannis Goldsteins/ alias Chrysoliti, Pastoris hic Nicola-  
itanii & Ecclesiarum Rostochiensium Superintendent. meritissimi, ut &  
Dorothæ Almariæ filia, quæ sanè sexagesimum jam sextum Dei gratiæ  
annum agit, quam ipsi gratiam ulterius precamur, ut diutius supersti-  
tet, plurimumque subinde solatii ex Filio hoc unico & ille vicissim ex  
veneranda matre non minus sentiat, quippe quam impensè merito ob-  
incomparabilia planè beneficia diligit & veneratur. Cum enim B. Pa-  
rente suo, qui hactenus ipsum qua par erat cura educasset, jam A. 1669.  
mense Decembri puer septennis præcoci fato privaretur, Mater sanè  
jam laudata virili planè animo curam ejus suscipiens, Præceptoribus  
ipsum fidelissimi formandum tradebat, quos interlaudat primò Dn. Zache-  
riam Schröderum, nunc Phil. Mag. & Pastorem Eccl. Stilzensis in vicinia  
dignissimum, deinceps Dn. M. Mattheum Laurentii, ad D. Mariae Diacon-  
ium quondam, qui cum sororem Dn. Candidati majorem natu vitæ soci-  
am elegisset, singularem quoque industriam in promovendis ejus studiis  
præ se ferebat; sed illo præmaturâ iatis morte abrepto, informationi Dn.  
M. Joh. Justi Mohrii, primum Scholæ hic Oppidanæ ConR. de in Rectoris  
tradebatur, cui & multum semet debere proficitur. Tandem v. commis-  
sus est fidei Viri Amplissimi Dn. M. Joh. Manzelii, Græce Ling. t. t. ap.  
nos Professoris, deinde & Gymn. Gustr. Rectoris, nunc v. Eccl. Neo-Cal-  
densis in Ducatu Gustrov. Pastoris & Synodi simul Neo-Caldensis atq; Dar-  
gunensis Præpositi optimè merentis, qui sanè cum Sororem Candidati su-  
præ dictam, Viduam tunc Laurentianam, domum rursus duxisset, non po-  
nit, quin Candidato nostro tanquam Affini proxime, quicquid Latium &  
Gracia habet, fideliter instillaret. His a. Præceptoribus cum fundamen-

In humāniori literātūrā & Philosophia feliciter jecisset, gradibus mox  
strenuis ad altiora procedebat. Et primō qvidem A. 1679. mense Mayo,  
Civem se Wittebergenis Academiac profitebatur eximiēque præstabat,  
Hospitem ibi Doctoremq; nactus Theologum longē celeberrimum, Dr.  
D. Job. Denßschmannum, FCtis Theol. n. t. Seniorem maximē venerandum,  
cui annos precamur longē ampliores. Illo enim Duce privatim responden-  
do & opponendo præclara Theologiæ principia hausit, ejusdemque con-  
silio & commendatione præviā, informatorem sibi in Philosophicis elegit  
Dr. M. Georgium Schwartzen FCtis Phil. t. t. Adjunctum, jam S. Theol.  
D. & Præpositum Stargardiæ-Pomeranum simulq; Gymnas. Professorem  
dignissimum, sub cuius quoq; præsidio disputationem de *obligatione Con-*  
*scientie* publicitus eodem Anno 1679. ibidem proponere non fuit pigratus.  
Ita v. his Doctoribus suis singularibus adhæsit, ut nec reliquos ibi tunc  
docentes, nunc beatos, nempe D. Calovium, D. Job. Meissnerum, & D.  
Quenselium, Theologos perqvam inclytos, aliosq; Philosophes  
præteriret. Antè verò qvam Wittebergensem relinqueret Academiam,  
non illaudabilem cepit impetum celebriora Misniæ Saxoniq; loca visendi,  
qyæ inter eminent Dresden & Hala, in iisq; curiosiora & memorabilia ma-  
xime observavit. Seqventi verò ad nos anno reversus, freqventissimē ad  
pedes Antecessorum sanè nostrorum jam beatorum, scilicet D. Varenii, D.  
Cobabi & D. Siricii, sedebat, qvin & B. D. Schomeri manuductione utebatur,  
qui sub finem istius, quo noster reversus est anni, nempe 1680, Acade-  
miam ornare nostram ordiebatur. Siq; videm non modo privatara  
hujus Disputationum, super theses Anti-Jesuiticas A. 1681. habitarum sedulus  
auscultator fuit, sed & publicis Disputationibus super theses Anti-Socini-  
anas, in æde Johannea (cum Auditorium hic Majus repararent) A. 1682:  
propositis, bis tvere respondendo iepiusq; opponendo, interesse non negle-  
xit. Cumq; sequenti etiam anno 1683, incomparabilis Theologus D. Varenius  
Collegii hic Ducalis & FCtis nostræ Senior, publicum idemque Disputa-  
torum in universos Theol. locos Collegium inchoaret, eidem pariter ope-  
ram navare suam, semel sub initium sequentis Anni 84. sub ejusdem præ-  
sidio, de Proto. Canonis & Deutero-Canonis S. scripture libris, dispu-  
tando, suamque hic industriam & profectus in Theologia singulis desi-  
gnare annis pergebat. Quadriennio sic laudabiliter apud nos transacto,  
vicinam quoque Gryphicam aliasq; Pomeraniae urbes lustrandi volupta-  
te tegebatur. Redux a. mox factus, eodem anno 84. gradum Magisterii hic  
ambie.

ambiebat, meque tunc FCtis Phil. Subseniore & primo ejus examinatore (Senior enim Ebraeus decumbebat) & Decano Dn. M. Christiano Hildebrando, Log. P. P. nunc FGtis illius Seniore, nostriqve jam Candidati Collegi conjunctissimo, d. 17. Jun. cum laude exambiebat. Qva occasione non poteram, qvin pro veteri in Dn. Candidatu domumq; Lindemannianam affectu, primis tunc honoribus ejusdem sequentibus applaudetem, qvæ in honorem ejus hic repetere non gravor, dubitans an de novis jamq; instantibus iplimet honoribus parili metro gratulari per occupationes possim. Ita v. olim & nunc:

*Cum faciem moresq; Tui lingvamq; Parentis  
Hospitis beiq; quondam mente revolvo mei,  
Ingeniumq; sagax, decus eloquissq; recordor,  
Non minimus mentem tangit habetq; dolor;  
Ast ubi Te rursum penitus considero Gnatum,  
Ipsummet videor, crede, videre Patrem.  
Letor & in Gnatō jam surrexisse beatum,  
Cujus DELICIUM Filius unus erat:  
Sed majus jam DELICIUM si viveret, esset,  
Qui decus AONIDUM DELICIUMq; \* vires.  
DELICIUM MUSIS ANNON LINDMANNUS habetur?  
Sic querit nomen per metagrammatum.  
Affirmo. viridemq; juvo contexere laurum.  
Adspiret DOMINUS, fama sequatur AVI!*

Gradu sic insignitus Collegiis mox Philosophicis Juventuti studiose his  
commodare simulq; frequentius in Templis, præcipue Nicolaitano, cum  
B. Dn. M. Rembertus Sandhagen, Pastor illius Ecclesiae & R. Ministerii Di-  
rector, B. sui, quem suprà laudavimus, Avi, Dn. Superint. Goldsteinii suc-  
cessor, matrisque suæ Vitricus, diem obiisset, verba ad populum promptissi-  
mâ habendo lingvâ animoq; vices Avi subire delectabatur. Cum v. ad-  
huc denuo sibi studiisq; proficuum ad exterios iter meditaretur, duo rursus  
specimina, tum declamatorium, tum disputatorium, ante discessum si ede-  
ret, non abs re fore judicabat. Et primò quidem *Oratione de literaria*  
*artium venatione* d. 12. Mart. 1685, in Aus. Majori memoriter habitâ, mu-  
nific.

Joachimus  
Lindeman-  
nus:  
Anagr:  
Ab annon  
Musis deli-  
cium?

In officiis Stipendii Poleyani Curatoribus gratias publicitus agebat; Disputatione v. Philosophicā de Veritate Imperante, sequenti proximè 21. Martis in Auditorio Majori propositā, facultatem in Philosophia praefidendi primā vice promtissimus exercebat. Orationi tunc mellifluæ Programma invitatorium, tanquam Oratoriæ adhuc Professor, præmittebam simulque Oratori Lindemann sequenti acclamabam metro, qvod ex ratione superius dicta similiter hic allego:

† Linde-

Quid verbis opus est? Te mel † res clamat inundans, manus;

Mellifluusq; probat sermo subinde Tuus.

Anagr.

Melle DEI sata sacra dehinc Orator inundat: Mel inund-

Semper inundatur pectus amore DEI! dans.)

Disputationem quoq; dictam de Veritate imperante, sequenti Scaronste, tunc FCTis Phil. Decanus ornabam, qvod cum hodie satis superque quadret, inserere hic adlubescit.

Tu Veritatem dicas imperatricem,  
qvæ servient magis videtur ancilla.

Sic dissidemus! Nec tamen repugnabo,  
Nec tu negabis, mentientium turmā  
Premi freqenter veritatis auctores.  
Hæc servit ergo; falsitas tenet fasces!

\* Veritas;  
Anagr.  
Servient,

Sed gratulor, qui veritatis excelsam  
Laudas coronam, Praeses, hac honorandus  
& laude veritatis usque laudandus,  
(ceu prædicaris jure, nuper Orator  
Venationes artium qvod ornâris),  
Et opto, laus hæc serviat Tibi semper,  
Solidæ saluti commodoque Te servet!

¶ ¶ ¶  
† Veritas  
Anagr.  
Avertis.  
\* Veritas  
odium.

Hei veritas Cultoribus quid † avertis?  
Mundi \* favores, hosque prorsus, invertis,  
Suā Deus quem veritate convertat;  
Tibi favores,clare Praeses, advertens!

His verò speciminibus cum applausu hic editis, eodem Ao. 1681. Witteberga denuo tendebat. In via Sedinenses primò, deinde & Berolinenses salvabat. Wittebergæ non tantum hospitio longè latèque incluti Dn. D.

Galovii

*Calovii exceptus, inqve adibus Dn. Kirchmajeri, Eloq. P.P. & Acad. Wittebergi, nunc Senioris, Fautorisque Candidati nostri singularis versatus, sed & Disputatione Philos. geminâ, & alterâ qvidem sub Præsidio Dn. Prof. Robrense super dodecadiem i besum selectarum Moralium; alterâ a proprio præsidio de fortuna fabro, Mense Sept. ejusdem A. 1685. habitâ, pro more illius A. ead. habilitatus (sive nra verbo) non potuit non majores in studiis, cum Theologum Phil. facere progressus: siqvidem & habilitatione jam præviâ in FCtem Phil. receptus, potestatem in illa Universi legendi impetrabat & exercebat, simulqve verba ex suggestu freqventer faciebat: Siqvidem in Homileticis dexterissimâ celeberrimi Dn. D. Job. Frid. Majeri, tunc Wittebergensis, nunc Hamburgensis Theologi manuductione gaudebat. Nec minus sibi in Theologicis profuisse B.D. Waltherum, Königii Theologiam positivam tunc privatum prælegentem, & Dn. Prof. Schurzleibum, in Geographicis atque Historicis præuentem, grato prorsus ore profitetur. Eodem tempore Wittebergâ quoqve Lipsiam excurrere ipsi volupe erat, ubi maximè Reverendorum simul Theologorum, Dn. D. Carozii, Dn. D. Pfeifferi & Dn. D. Alberti, favorem expertus est. Defuncto a, sub initium sequentis anni 1686, Magno Hospite suo Calvio, qui moribundus Dn. Candidato nostro singulariter benedixerat, mox redire qvidem ad suos volebat, sed diu hic commorari non placebat, cum voluptate peregrinandi traheretur. Igitur consentiente plentissima Genitrice, in Belgium ire parabat, adeoq; mediâ anni illius estate, Hamburgi consensâ navi, oram Frisiae Orientalis præternavigando & Gorcum simulatque Stavordam videndo, cursum ad Hollandiæ septentrionalis Civitatem Enkbysam direxit, donec Amstelodamum veniret. Ne v. Musas in hoc itinere negligeret, mox per Harleum ad Academ. Leidensem tendebat, publiceqve docentes Wistichium, Gronovium, Woldegcam aliasqve Professores audiebat, rarumqve simul Medicorum ibi hostium & Theatrum anatomicum oculis usurpare non negligebat. In de Hagam Comitum & Roterodamum abibat, tandemqve autumnâ jam ingruente cursum vertens primo Traiectum concessit ibique Leiderkero, Gravio, aliasqve Professoribus visis, per sinum maris navigio Zwellem excurrit, indeqve per Benhemensem Comitatum & Monasteriense territorium Bremam venit, & sic porro ad nos reversus, non tantum varia denuo Collegia Philosophiae Cupidis aperiendo, in meisqve Isaianicis publicis aliorumqve Disputationibus saepius opponendo, sed & quadam in Disputatione de præjudiciis Philosophicis d. 9. Apr. 1687. præsidendo, sic satis qvidem se commendavit; cum vero promotionis spes nulla hic*

( ) ( )

cousq;

eousque appareret, in Dianam sequenti A. 1688. transfretare proponebat; sed DEus aliter longè disponebat; dum enim omnis spes decollasse hic videbatur, ecce ex improviso, ab Amplissimo Civitatis hujus Senatu, Ecclesiæ hic Marianæ, ad vacantem jt. t. Archidiaconatum præsentabatur: unde & Cœlo providente ad d.30. Maji per centum planè ac viginti septem vota in locum Dn. M. Ludov. Bartlai, qui qvondam A. 1670. Parenti ejus suprà laudato successerat, ritè eligebatur. Spartà sic donatus Conjugi diu carere non potuit: qvam proinde seq. 25. Octob. die ex domo Nobilissimi & Amplissimi Viri Dn. Dieterici Wolfraths Consulis hic Senioris meritissimi accepit, qvi Conjugis sua sororis Filiam, Virginem tunc, Nobilissimam & Virtuosissimam Annam Kortboltiam, ab Avia dulcissima Anna Kirchhofia hic educatam, eidem prævio Dn. Parentis consensu, Viri nempe Celeberrimi Dn. Christiani Kortboltii, S. Theol. ap. Kiloniensis Professi primarii ejusdemqve Acad. Procancellarii, in matrimonium locavit; ex qva qvidem trium haec tenus liberorum is Parens factus est, sed filioli tamen heu! duo, Joachimus Christianus & Joachimus Henricus, ad meliores jam transferunt, filiâ adhuc per DEI gratiam superstítante. Triennio pòst ad laudati jam Soceri, Dn. D. Kortboltii invitationem per Cimbriam profectus Kilonium venit, ubi & Dnn. Professorum, præprimis D. Frankii, D. Majoris, Profess. Clasenii, ut & Profess. Georgii Paschii; Adfinis sui honoratiss. favore & amicitia refectus, Gorropium migravit plenumqve Musarum domicilium, Bibliothecam longè instructissimam, globumqve Cœli planè æmulum ex benigna concessione Dn. D. Nicolai Pechlini, Consiliarii Ducalis, Bibliothecarii & Archiatri æstimatissimi, contemplatus simulqve perqvam Reverendi Dn. C.H. Sandbagenii, Superintend. ibid. Generalis, tanquam Affinis sui, familiaritate usus est. Inde per Dithmarsia confinia ripasqve Eideræ profectus, Tönningam, celebrem portum ac fortalitum, cum adjacentibus Holsatia oppidis, lustravit, nec frustra. Post illam enim peregrinationem exteri quoqve rationem Ejus habere cœperunt; siqvidem primò Reverendissimus Dn. Episcopus Lubecensis, Eutini in Holsatia residens, Ecclesiasticam ipsi functionem in aula clementer offerre propendebat, cuius quoqve propensam voluntatem, ex voto laudati suprà Dn. Soceri sui, fecutus fuisset, nisi Parochiani hic Marianii Dn. Candidatum retenturi, exemplo sane laudabili factaque deputatio ne, singularem ipsi amorem & verbis & muniberis fuissent contestati, simulque Nobilissimus & Ampliss. Civitatis hujuscē SENATUS Professionem

sionem Physices & Metaph. benignè satis obtulissent, quam quoque M.  
Sept. An 1692. præviâ inaugurali Oratione, de *philosophia contra No-*  
*vaturienium censuras vindicanda*, fuit aggressus, variisque mox,  
pro Juventutis Acad. commodos, tum prælectionibus, tum collegiis, nem-  
pe Metaphysicis, Physicis, Geograph. Physico Critico - sacris & com-  
mentationibus in Autores quosdam adornatis, exornat. Deinde & *Wismar-*  
*rienses* quidem meis quorum sane propter Cognatos & beneficia mihi quon-  
dam præstata nunquam non gratus recordor) Plur. Rev. Dn. Candidato  
non ita pridem affectum satis suum prodiderunt, quando Pastoratum Ni-  
colaitanum Regiique, quod Wismaria est, Consistorii Assessorum  
conferre intenderunt. Sed verò ex causis paulò ante memoratis, Patriæ  
quam Exteris dona consecrare sua, consultius rebatur. Nec ita pridem  
est, cum idem noster p.t. Decanus suæ FCtis, in Disputationibus ex naturali  
Theologia tum de *Omnipotencia Dei*, tum de *Simplicitate ejus*, Præsi-  
dendo, Respondentibus Philos. Magistris, pro loco disputantibus, dex-  
teritatem Auditorio probaret. Inter hæc verò, dum utramque  
sic spartam Pl. Rev. noster Candidatus ornat, commoda sane ac fronte  
sic satis capillata occasio, gradum in Theologia ritè consequendi, sese of-  
fert, quam sane benevolorum consilio cum negligere nolle, ecce no-  
minis sui professionem, jam superiori Mensi Decembr. hoc Decanatu  
factam, ipso Paschatos profecto renovare literis, Collegio FCtis nostræ pro  
more oblatis, suæque examina reverenter petere non dubitabat, non il-  
laudabiliter facturum se confidens, si per Antecessorum ad Div. Mariae hic  
quondam Archidiaconorum simulque Professorum vestigia du-  
ctus, in majorem Dei gloriam, Ecclesiæ salutem, Academiæ incrementum,  
studiorumque incitamentum, suæque tandem familiae ornamentum, gradu  
se Theologico abs nobis insigniri curaturus esset. Nos igitur pro ea, quam  
claris planè ingenii Virisque de Ecclesia & Acad. bene merentibus meri-  
tò debemus propensione, unanimi VIRUM consensu & octavo quidem  
à petitione ejus die, ad examen, quod rigorosum vocant, admisimus,  
oculosq; non tantum in insignes animi dotes & eximios in Theologia pro-  
fectus, sed & in studia hic & alibi in Academiis continuata commodamq;  
hic ulterius proficiendi occasionem conjicentes, non potuimus quin eidem  
Dn. Candidato ad publicum quoque examen, (quod in solenni Disputationis  
actu, ex tempore propemodum, & ex præscripto simul nostro, de Sandiorum  
cum Resurgente Christo redivivorum resurrectione ex Matth. 27. v. 52. 53.  
NON IN-

non injucundo certè nec inutili argomento, subire paratus est,) aditum faceremus, ut scilicet toti se Universitati probaret, ejusque applausu lætèque adeo rite que Doctorales in Theologia honores, studiorum illustre præmium & ulterius scripturas scrutandi incitamentum, reportaret.

Cui Disputationis actui, proximè instanti IX. Aprilie, DEO volente, instituendo, ut MAGNIFICUS DN. RECTOR, & Utriusque Reip. PRIMORES Amplissimi, omnesque omnium Ordinum CIVES Academici, suis quaque titulis fulgidissimi, aliquique S. literarum FAUTORES ornatisissimi, benigno interesse affectu, illorumq; tum presentia honorificentiori, tum dubiis in medium proponendis, reddere conspectiorem, eoq; ipso suum erga FCtis nostræ Collegium & Rev. Amplissimumq; Dn. Candidatum favorem ulterius manifestare dignentur, officiose pariter ac studiosè, meo & Ven. FCtis nomine rogo, qui nulla non occasione de omnibus singulisq; bene vicissim mereri, prout fas erit, annitar. Ipse etiam Dn. Candidatus prothymiam eo, quo decebit, loco est habiturus. Qvod supereft Triumphatorem mortis & inferni, Dominum & Servatorem nostrum supplicibus omnino votis veneror, ut institutum illud nostrum clemens ac propitius respiciat, successumq; ei prosperrimum largiatur!


P.P. ROSTOCI, Sub FCtis nostræ Sigillo,  
Dom. Quasimodogeniti & Miseric.  
Domini, A.C.M.DC.XCV.

— (O) —





sionem Physices & Metaph. benignè satis obtulissent,  
 Sept. An 1692. præviâ inaugurali Oratione, de *philosophia*  
*curientium censuras vindicanda*, fuit aggressus  
 pro Juventutis Acad. commodos, tum prælectionibus,  
 pe Metaphysicis, Physicis, Geograph. Physico Criti-  
 mentationibus in Autores quosdam adornatis, exornat.  
 riensis quidem mei (quorum sanè propter Cognatos & be-  
 dam præstata nunquam non gratus recordor) Plur. Re-  
 non ita pridem affectum satis suum prodiderunt, quan-  
 colaitanum Regiique, quod Wismariæ est, Consi-  
 conferre intenderunt. Sed verò ex causis paulò ante  
 quam Exteris dona consecrare sua, consultius rebatur.  
 est, cum idem noster, p.t. Decanus sua FCtis, in Disputati-  
 Theologia tum de *Omnipotencia Dei*, tum de *Simpli-*  
 dendo, Respondentibus Philos. Magistris, pro loco di-  
 teritatem Auditorio probaret. Inter hæc verò  
 sic spartam Pl. Rev. noster Candidatus ornat, commo-  
 sic satis capillata occasio, gradum in Theologia titè con-  
 fert, quam sanè benevolorum consilio cum negligi-  
 minis sui professionem, jam superiori Mense Decem-  
 factam, ipso Paschatos profecto renovare literis, Collegi-  
 more oblatis, si que examina reverenter petere non du-  
 laudabiliter facturum se confidens, si per Antecessorum  
 quondam Archidiaconorum simulque Professori-  
 etus, in majorem Dei gloriam, Ecclesiæ salutem, Academ-  
 studiorumque incitamentum, suæq; tandem familiae ori-  
 se Theologico abs nobis insigniri curaturus esset. Nos ig-  
 claris plane ingenii Virisque de Ecclesia & Acad. bene-  
 tò debemus propensione, unanimi VIRUM consensu  
 à petitione ejus die<sup>o</sup>, ad examen, quod rigorosum vo-  
 oculosq; non tantum in insignes animi dotes & eximios i-  
 fectus, sed & in studia hic & alibi in Academiis continu-  
 hic ulterius proficiendi occasionem conjicientes, non pot-  
 Dn. Candidato ad publicum quoq; examen, (quod in sol-  
 actu, ex tempore propemodum, & ex præscripto simul no-  
 cum Resurgente Christo redivivorum resurrectione ex I



M.  
 No.  
 nox,  
 tem-  
 om-  
 ma-  
 von-  
 dato  
 Ni-  
 tum  
 triæ  
 dem  
 trali  
 raf-  
 dex-  
 que  
 onte  
 of-  
 no-  
 natu  
 pro  
 il-  
 hic  
 du-  
 um,  
 adu  
 am  
 eri-  
 lem  
 us,  
 ro-  
 nq;  
 em  
 nis  
 um  
 53.  
 111-